

www.e-rara.ch

In epistolam Pauli ad Galatas D. Martini Lutheri commentarius

Luther, Martin

Basileae, anno 1525

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1555>

Caput secundum

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Deinde post annos quatuor, &c.

Postquàm satis probauit nullius hominis magisterio se Apostolum factum, sed diuina reuelatione: nūc probat se eandē reuelationē tam certam, firmamq; habuisse, ut nullos prorsus homines, etiā Apostolos, sit ueritus habere iudices, tum nullo-
rum quoq; importunitati cesserit.

1. Primum (inquit) post annos quatuordecim, quibus, si annos tres, quos supra memorauit, adiūxeris, iam decem & septem, aut decem & octo annos eum prædicasse inuenies, antequàm conferre uoluerit: ita, ut impossibile uideatur quod tot locis, tot populis prædicarat, potuisse reuocari. Ideoq; nō sua causa ascendit, quasi timuerit (ut Hiero. sentit) ne falsum per decem & septem annos prædicasse: sed ut ostenderet alijs, nō inuacuum sese cucurrisse, approbantibus & cæteris Apostolis suum cursum. Si enim dubitasset, uerū ne an falsum doceret, insignis & inaudita temeritatis ac impietatis fuerat, dilata necessaria collatione, tot populos ludere incerta doctrina.

2. Secundo, non ascendisset unquam, nisi reuelatione dei monitus, non aliorum importunitate cōmotus: tantum abest, ut de doctrinæ certitudine diffusus, cōtulerit, nullā habēs prorsus necessitatē ascendēdi in hāc causam

3. Tertio, ad ipsam Hierosolymam, ubi erāt principes
tam

tam synagogæ quàm Ecclesiæ, paratus cum omnibus conferre, nec multitudinem Iudæorum, nec legis acerrimos æmulatores formidans.

Quarto, nō solus, sed cum Barnabæ & Tito, diuerso genere, aptissimos testes, ne aliud egisse præsens, aliud absens agere crederetur: ut si quid pro Iudæis nimium faceret, Titus gentilis proderet: si rursus nimis pro gentibus, Barnabas Iudæus obsisteret. Quare fidutiâ eius uide: hos duos secum duxit, & utrūq; testē habuit.

Deniq; cum utroq; sese offerens, manifestum facturus, quod cum Tito gentilem, cum Barnabæ Iudæū esse licuerit, & sic Euangelij libertatē in utroq; probaret, quod circumcidi licet, & tamen circumcidi non sit necessarium: ita & de tota lege sentiendum.

Supra satis dictū est de uerbo Cōtuli & acquieui. Et tropum Ebræum, uel scripturæ sacræ propriū nota, quod currere, significet officium docendi, seu uerbū dei nunciandi, sumptum à nuncijs, qui mittuntur & currunt. Sic supra ex Hiere. 23. dixi: Currebāt, & nō mittebam eos. Et psal. 147. Velociter currit sermo eius, et multa in sacris literis eiusmodi. Quo significatur, oportere uerbi dei præcones esse promptos & fideles nuncios, ut magis currāt quàm eāt. Ita & Esa. 52. Quāni speciosi pedes Euangelizantium. & c. Et Ezech. 1. animalia sua cum pedibus & cursu describit. Et Ephe. 6. Calceatos iubet habere pedes Euāgelico apparatu. & omniū pedum officia, cursus, missio, ac similia, ministe-

rium uerbi dei significant in sacris literis. Nec multum dissimilia poëta quoq; in suo Mercurio adumbrant.

Iterum nota, quod post annos quatuordecim Paulus inuenit Apostolos in Hierusalem, aut saltem Petrum & Iacobum & Ioannem, si non omnes, & cum illis cōfert. Non, quod me torqueat adeò fabula de diuisione Apostolorum anno tertiodecimo facta, & sic iactata, quàm ut moneam, ne in similes nugas (quæ plurimæ hodie sunt) facile labamur, contra apertissimas scripturas, sine iudicio quoduis superstitionis figmentum, titulo quocumq; pietatis ornatum acceptando. Illud iam notum est, qui uidebatur esse aliquid, quid significet. Nam & D. Hiero. habet, qui uidebantur (id est maioris auctoritatis & opinionis erant) Quare esse aliquid, additiciū est.

Sed neq; Titus, qui mecum erat, &c.

Melius sic, Propter falsos fratres autē subintroductos, &c. hoc est, quod non est compulsus circumcidi, hoc fecimus, nō odio, aut contemptu legis, aut operum legis: sed propter falsos fratres, qui ex libertate seruitutem nobis facere uolebant, &c.

Quibus neq; ad horam cessimus.

Illud quoq; quibus neq; ad horam cessimus subiectioni, poterat clarius dici, quibus neq; ad tempus (Sic Hiero. habet) cessimus in subiectionē, seu, ut subiacere mur: hoc est, adeò stetimus pro libertate Evangelica, ut nec id saltē à nobis obtinere potuerint, quo ad tempus cederemus & pro hac tantū uice, quasi postea redi-

turi,

turi, postq̄ expletus fuisset hac cessione animus emul-
 latorum legis, cum tam multa pro tempore et loco, ac
 personis facere soleamus, quæ nobis liberum est postea
 omittere. Verum hoc fiat in ijs, ubi diuina ueritas et
 Euangelica libertas non uenit in periculum, pro qua
 nec tempus, nec locus, nec persona curanda sunt.

Cæterum tota uis huius controuersie consistit, nō
 in operibus legis, quæcunq; illa sint: sed in necessitate
 et libertate operū legis. Non enim opera legis et lex
 ipsa sic sunt mortificata et finita per Christū, ut ea nul-
 lo modo liceat operari (quæadmodū D. Hiero. ex Ori-
 gene suo ductus, non uno loco contendit) sed tātum, ut
 absq; eis salus esse credatur per solum Christum, qui fi-
 nis legis est, in quem futurum erant præcepta.

Postquā enim Christus aduenit, legis opera sic aba-
 rogauit, ut indifferenter ea haberi possint: non autem
 amplius cogant, sicut infra cap. 4. pulchrum dabit pa-
 radigma de hærede paruulo. Ideo cæteri Apostoli ea
 fecerunt cum Iudæis fidelibus. Paulus autē et Barna-
 bas aliquando fecerunt, aliquando nō fecerūt, ut osten-
 derent ea prorsus esse indifferentia, et talia qualis es-
 set ille, qui faceret. Vt 1. Cor. 12. Factus sum Iudæis
 tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrificerem: ijs qui sub le-
 ge sunt quasi sub lege essem, cū ipse non essem sub lege,
 ijs qui sine lege erant tanquam sine lege essem.

Quomodo potuit libertatē Euāgelicā clarius expli-
 care? Veni (inquit) ad Iudæos prædicaturus Christū.

At ut me audirēt, necesse mihi fuit propter eos, nondū
 hac uti libertate, & eos cōtemnere cum suis operibus.
Feci ergo quæ ipsi faciebant, donec docerem nō esse ne-
cessaria, sed solā fidē Christi sufficere. Ita ueni ad Gen-
tes, iam nihil eorum egi, quæ apud Iudæos egeram: sed
 omnino edebam, bibebam, quæ & illi, donec docerem
 eos Christū. Quomodo me admisissent, si eos statim fa-
 stidissim in rebus illis neutralibus?

Alioqui, si licet, imò meritorium est, pro fratre &
 proximo dolere, pati, mori, laborare: quanto magis lis-
 cet opera legis quæcūq; fieri, si ea requirat charitas fra-
 terna? Modò non lege cogente (nam superatus est ille
 exactor per paruulum, qui datus est nobis) sed charis-
 tate sponte & hilariter seruiēte, facienda scieris. Pros-
 inde, si fratris necessitas postularet, ut circūcidereris,
 iam non modò sine periculo (quia non propter legem
 & necessitatē eius) imò cū multo merito circūcideris.

Proinde, Apostolus uigilanter, non ait, non uoluit,
 non licuit: sed, non est compulsus circumcidi. Circumci-
 di malum non erat, sed iam Christo solo nos per gratiā
 iustificante, cogi ad circumcisionem tanquam necessa-
 riam ut iustificeris, hoc impium erat, & in Christi iu-
 stificatricē gratiā contumeliosum. Quare legis opera
sunt post Christū: sicut diuitie, honor, potestas, iustitia
ciuilis, ac quæcūq; alia res temporalis: quas si habeas,
non ideo melior es coram deo: si careas, nō ideo peior.
 Esses autem pessimus, si eas necessarias assereres, quo
 deo

deo placeres. Igitur uerba Apostoli uide, in quibus
uis intelligentiæ sita est. Cōpulsus (inquit) item libera-
tatē, seruitutē, subiectionē. Quibus id satis exponit, fu-
isse scilicet inter eos, qui obseruārāt eū, quod legē pro-
licentia & libertate sua quandoq; seruauit, quandoq;
contrā fecerit, prout lucrandis animabus & Euāgelio
prædicando uidebat conuenire. Et illi prodentes, ac-
cusantesq; quod legem non seruaret, non circumcide-
ret Gentes, &c. uolebant eum cogere: quam uocat hic
subiectionem & seruitutem.

Est enim libertas ista, quam in Christo nos habere
gloriatur, quod nulli prorsus uni externo operi sumus
alligati, sed liberi in quodlibet, ad quemlibet, quocūq;
tempore & modo, nisi ubi fraterna charitas & pax of-
fenditur. Sicut Rhom. 13. Nulli quicquam debeatis, nisi
ut inuicem diligatis. Igitur Christianus uerus, ut infra
cap 5. nec est liber, neq; seruus: neq; Iudæus, neq; gene-
tilis: neq; masculus, neq; fœmina: neq; clericus, neque
laicus: neq; religiosus, neq; secularis: neq; orat, neque
legit: neq; facit, neq; omittit: sed ad omnia prorsus indis-
ferens est, faciens & omittens sicut ad manum sese res
uel obtulerit, uel abstulerit. Sicut Samuel, 1. Reg. 10.
dixit ad Saül: Mutaberis in alium uirum. Et, Fac quod
cunq; inuenerit manus tua, dominus tecum est.

Quod autem alius ducit uxorem, alius intrat mona-
sterium, alius alio sese mancipat operi, non facit lege
cogente, sed sua sponte se subijcit seruituti. Quod si ex

*Libertas
quæ.*

charitate facit, optime facit: sin ex necessitate aut timore urgente, non Christianiter, sed humaniter facit.

Quocirca grauissime errant nostri seculi homines, maxime clerus & religiosi, qui propter pompas eterni cultus, propter ritus & ceremonias suas (quibus usq; ad incurabilē perditionē animarū sunt impliciti) ita fastidiunt alios, qui simili specie non speciūtur, ut & sine fine litigent, & audeant protestari, nunquam uelle eos cōmunia cum illis sentire & habere.

Ultimo, ueritas Euangelij hoc loco non pro ipsa sententia Euangelij, sed pro uero usu Euangelij accipi uidetur. quia Euangelion semper uerum est, usus autem eius, simulatione non raro subuertitur. Est enim ueritas Euangelij, scire quod omnia liceant, omnia munda mūdis: & nullū opus legis ad salutē & iustitiā necessarium sit, cum lex mortua sit, non amplius cogat. Licet tamen pro charitate legem operari, sed nō ut legē.

*Veritas
Euangelij
p. 9.*

Ab ijs autem, qui uidebantur esse, &c.

Hoc uno loco esse aliquid, cū uerbo Videbantur, Paulus ponit, unde & in alia duo loca idem additū est à librarijs. Iterum Eclipsis hic est: ab ijs autem, qui uidebantur aliquid esse, subaudi, nihil accepi. quod infra repetens dicit: nihil mihi contulerunt. idem uerbum contulerunt, quod supra.

Quales aliquando fuerint, nihil, &c.

Quales fuerint, ad dignitatem referri debet, &
dictum

IN EPIST. AD GALATAS.

dictum est in pseudoapostolos, qui Apostolorum gloriam iactabant, quod cum Christo conuersati essent, omnia uidissent, audissent, acceperint, Christo præsente, ideoq; Paulo præferendos, legemq; cum illis seruandam. Paulus autem Apostolos nihil uituperans, & uera esse quæ obijciuntur admittens, optima & saluberima eis obuiat responsione, scilicet totum hoc nihil ad rem pertinere, quo ipsi inflantur.

Non enim ideo uerum aut bonum aliquid est, quia à magno, sancto, aut cuiuscunque tandem personæ sit, profertur: sed quia à solo deo proficiscitur. Quid enim Iudæ traditori profuit, cū Christo fuisse conuersatum, & omnia cum Apostolis communia habuisse? Frustra ergo laruam & externam Apostolorum gloriam illi iactant aduersus uerbum dei, quod deus sine ista persona reuelat & docet. Si personam Apostolatus in Iudæ despexit deus, certe nec in alijs eam accepit.

Deus personam hominis non, &c.

Et notabis, Personam hoc loco longe aliter accipi, quàm in scholis nūc usus habet. Non enim rationalem, indiuiduamq; substantiam, ut illi dicunt: sed externam qualitatem uitæ, operis, aut conuersationis significat, iuxta quam, homo de homine iudicare, laudare, uituperare, nominare, potest. Homo uidet ea quæ patent, deus autem intuetur cor. Et Psalmo 7. Scrutans corda & renes deus.

Ista ergo patentia quæcunq; tandem sint, tu intelligis
 ge personas, facies, apparētias, & personalia ista, si re
 cte uis intelligere scripturas de respectu personarū lo
 quentes. Homo semper respicit personas, nunquā cor,
ideo semper male iudicat. Deus nunquam respicit per-
sonas, semper autem cor, ideo iuste iudicat populos.
 Deniq; alibi Prosopon, faciē uertit. Facies autē in scri
 ptura proprie significat omne, quod externe apparet.
 Sic Marci 12. Non enim uides in faciem hominis. Et 1.
 Reg. 16. Ne respicias in uultum eius. Quando autem
 nomen personæ iam diu abiit in aliam significationem,
bonum uidetur, si ubiq; facies pro persona scriberetur
in Biblijs.

Vides ergo quā saluberrime nos Paulus erudit,
 ne titulo, nomine, facie, persona decepti, omittamus cō
 silium eius, qui dicit: Omnia probate, quod bonum est
 tenete. Quid putas modò diceret, si audiret in Ecclesia
 doceri omnia sine omni probatione, per eos, qui glori
 antur de potestate, de sanctitate, de eruditione autho
 rum suorum? Apostolorum faciem nihil ad rem perti
 nere audacter asserit.

At Apostolorum facies erat sanctitas, potestas, Chri
 sti familiaritas, & multo maiora quā nunc in quocūq;
 que Pontifice inuenias, cū nunc potestas Papæ sola sus
 ficiat. Sanctitas doctorum sola dominatur, ut doceatur
 quicquid uel libuerit. At certe potestas Papæ, cum sit
 persona quædam hominis, à deo non respicitur, neque
 sanctitatis

sanctitatis opinio, neq; scientiæ fama: omnia sunt personalia, ideo nec satis firma, ut propterea necesse sit uerum credi quicquid senserint.

Certum est autem quod nec ipsis Apostolis placuerit iactata eorum persona, ut qui scirent, in domino, nō in se aut sua apparente uel potestate, uel sanctitate gloriandū. Et nota hāc Paulinā monitionē diligentissime.

Mihi enim qui uidebantur, &c.

Non rursum suum Paulo Euangelion exposuerunt, & cum eo contulerunt (id enim uerbum Cōferre, iam dictū est significare) sed nec opus erat. Satis erat, quod approbauerunt, & (ut sequitur) uiderunt sibi creditū præputij Euangelion. Hoc dicit, quo iam autoritate Apostolorum quoq;, quos illi iactabant aduersus Paulum, recte se docuisse ostendat, & Apostolos secum stare contra iactatores personarū pseudoapostolos. Ideo id nunc latius prosequitur.

Sed contrā, cum uidissent, &c.

Ecce idem Euāgelion Pauli & Petri: ille in gentes, hic in Iudeos Apostolus. Quomodo ergo pseudoapostoli Petrum & Apostolos contra Paulum iactant, qui eadem sapiunt? Si aliter sensisset Petrus, Iacobus & Ioannes, quā Paulus Galatas docuerat, corripuissent utiq; nunc autem & commendant, & dextras societatis dant. Nondum erant in Ecclesia contentiones istæ de præcellētia Ecclesiarum & Pontificum. Petrus, Io-

annes, Iacobus, Paulum & Barnabam non dedignatur socios & æquales suos: sed successu temporis & uitiorum (ut Hiero. ait) societas desijt in potestatem & præcellentiam: quod sequitur.

Dextras dederunt mihi & Barnabæ, &c.

Dextras societatis, pro dextris sociis, uel pro societate firmādas. Nisi id malit, quod nō dederint dexterarum adorationis exosculādas, pro reuerentiæ cōfessione.

Illud uide, quod nihilominus seruat ordinem & reuerentiā dignitatis. Iacobū præponit Petro, quia Episcopus Hierosolymitarū fuit, cæteris Apostolis cunctibus & redeuntibus. Id enim Apostolos constituisse ferunt, Petrū, Iacobum, Ioannē, ut iuxta doctrinā Christi, minores se facerent, cum fuissent uiuente Christo cæteris priores & maiores. Non dicit, Qui cooperatus est: sed, qui operatus est. Intelligit autē id quod 1. Cor. 12. copiose describit, quod diuisiones operationū sunt, idem autem deus, qui operatur omnia in omnibus. Sed & græca uox plusquam operari latinum significat, scilicet efficacem uim suam ostendere. Hæc est gratia spiritus, qua diuersa dona & opera multiplicat in Apostolis, & cum uirtute perficit in auditoribus.

Vide electum uerborum pensatorē: Euāgelion præputij, Euangelion circumcisionis, Apostolatus circumcisionis, Apostolatus in gentes. Nomina officij & laboris tantum recenset. Euangelion enim pro officio Euāgelij

gelij prædicandi nimirum accipit. Et in præputium, in Gêtes, quod ad Gentes hoc officio fungeretur. Apostolatus uero ipso nomine, officium sonat: At nostro seculo, nomina dignitatis duntaxat sunt.

Non satis erat dicere, cum uidissent quod mihi creditum esset Euangelion: sed addit, cum cognouissent gratiam quæ data est mihi. Ministerium uiderunt, gratiam cognouerunt. Quid ita? Nempe gratia sapientiæ (qua præ cæteris pollebat in uerbo) & uirtutis, qua inter Gentes miracula fecerat, ex uerbo & opere cognita est. Necessarium forte ratus, hæc duo simul ponere, ne officium uerbi suscipiat, qui gratia careat, qua ministeriū eiusmodi adimpleat. Multis uidemus credi Euangelion et officiū apostolicū, sed gratiā nō cognoscimus in eis: neq; enim uerbo, neq; opere eā possunt indicare.

Videbantur columnæ esse, &c.

Obsecro, cur non dicit, Erant columnæ? an inuidet eis gloriam? absit. Sed de re, ut est, loquitur. Esse enim columnā in Ecclesia, personale est & iuxta faciē, quam deus non respicit. Est enim uisu & opinione hominum, necessaria quidem ipsa propter subiectos: sed non res ipsa, in qua sit fidendum. Neesse est, esse Principes & Reges: id est uideri, & tales in opinione hominum existimari, cæterū personæ sunt mundi & externæ uitæ: intus, ubi deus uidet, forte ultimis seruis inferiores. Ita Episcopatus, sacerdotium, & omnis ordo & status,

Ecclesiæ, personæ sunt, non res ipsa solida in æternum. Quare aptissime per uerbum Videbantur, de ijs loquitur, contra insensatos, qui in personas non secus ac res ipsas ueras intuentur.

Uiden
72. Quare uerbum Videbantur, non accipiendum est,
quo nunc usu habetur, dum de re uel falsa uel apparen-
te dicimus, mihi uideor: sed simpliciter, Videbantur, id
est habebantur, & suspiciebantur pro columnis, & ue-
ræ columnæ erant, quantum in hac uita esse potest, in
qua omnia quæ uidentur, personæ sunt, & externa res-
rum facies.

Vt nos in Gentes, ipsi autem, &c.

Ethæc eccliptica oratio est, ut nos in Gentes, ipsi autē
in circumcisiōe, subaudi, Euangelizaremus, aut Apo-
stoli essemus: & huic tropo Paulino tandem assuescen-
dum est. Non autē sic partiti sunt ministeria ista, ut nul-
lum Iudæum Paulus, & nullum gentilem Petrus doce-
ret: cum sint in contrarium utriusq; Epistolæ.

Idco aduerbiū Tantum, non potest cohærere præcedentibus: sed quod (ut Hiero. sentit) utriq; populo suus Apostolus mitteretur: Gentibus is, qui liberam fidem sine onere legis doceret: Iudæis is, qui legem inolitam propter fidem paulatim alendam, toleraret.

Vt pauperum memores essemus, &c.

Pauperes quos Rho. 16. Pauperes sanctorū uocat, q̄ sunt, quibus Iudæi substātiās rapuerāt propter Chri-
stum

stum: ut ad Ebræ. scribit. Aut qui sua bona cōmunia fecerant, ut Act. 4. scribitur. Forte & ij, qui penuria laborabant famis tempore, quam sub Claudio factam, Lucas in Actis meminit. Certum est autem, quod sub Claudio ista cōtigerunt, quæ hoc narrat capitulo, si calculum duxeris annorum.

Cernis autem, quod alterum Apostolicum opus sit. Solicitum esse pro pauperibus. Admonēdi enim gratis hoc addidisse uidetur, futurum sciens, Apostolorū successores alia curaturos, quàm pauperes. Vnum merito mouere potest, Cur potissimum Petro sese æquet, cæteris Apostolis tacitis? Quin et Petro Apostolatam circumcisionis tribuit, itē cæteris tacitis. Forte, quod hic ut erat primus inter Apostolos, ita maxime eum pseudoapostoli iactauerint ad Euangelij iniuriam. Aut iterum futuris monstris prouidit cautionem.

Cum autem uenisset Cephas, &c.

Primo, certum est, quod Paulus Petrum non reprehendit, quia gentiliter uixisset (ut uult B. Hiero.) tunc enim uerè & idem in seipso reprehendisset: & staret omnino firmiter sententia B. Hiero. qui legalia non licere putauit, & mortifera esse post passionem Christi. hic enim defecit sanctus uir, abductus à maioribus suis aliquot. Sed ideo reprehendit, quia simulauit. Simulationem inquam Petri Paulus nō tulit. Nam hoc approbat, quod gentiliter uixerat, & rursum Iudaice: sed re-

probat quod uenientibus Iudæis subtrahebat ac segregabat se à cibis gentiliū, qua subtractione, gentibus & Iudæis author fiebat, gētilia esse illicita, & iudaica necessaria: cum tamen sciret utraq; esse libera & licita. Vnde & textus indicat, Petrum nō ignorasse hæc esse libera, quia prius (inquit) cum gentibus edebat. Item, timens eos qui à Iacobo uenerant: timore ergo, non ignorantia hæc fecit. Non enim dicit Paulus, quare tu gentiliter uiuis? nec dicit, quare ad Iudaismum reuerteris? utraq; licuit facere. sed, quare cogis gentes iudaizare? Coactio ista per simulationem & subtractionē, reprehensibilis erat, qua Gentes & Iudæi credebant esse iudaica necessaria, & gentilia illicita.

Sic non queritur, cæteros Iudæos consensisse in cibum uel gentilem, uel Iudæum (sciebant enim esse licitum) sed in simulationem Petri & coactionē gentiū & Iudæorum, ad iudaismū, ut necessarium. Item, nō queritur Barnabam edisse cum eis Iudaice uel gentiliter, sed abductum in eandē simulationē, & coactioni Gentium & Iudæorum ad iudaismum consensisse.

Igitur contra necessitatem pro libertate pugnat Paulus. Sola enim fides Christi necessaria est, ut iusti simus, cætera omnia liberrima, neq; præcepta amplius, neq; prohibita. Si ergo Petrus recta fronte utraq; fecisset, non fuisset reprehendendus. Sicut Paulus utraq; cum fiducia fecit.

Porro, an Petrus in hoc peccauerit (ut uocāt) mortaliter,

taliter, uiderint alij. Hoc scio, quod ij, qui tali simulatione cogeantur ad iudaismum, nisi fuissent per Paulū reducti, periissent: quia nō in fide Christi, sed in operibus legis iustificari cœperunt. Ideo Petrus cū ceteris præs-
buit efficax scandalū, nō morū, sed fidei & eterne dam-
nationis. Nec Paulus tam fidēter restitisset, si leue &
ueniale periculum hic fuisset: conqueritur enim Euāge-
lij ueritatem fuisse desertam. At ueritatem Euangelij
non sequi, iam infidelitatis crimen est.

Non mihi placet studiū illud in sanctos nimīū excu-
sandi & efferēdi, præsertim, si in sacræ scripturæ uim
uergat. Melius est Petrum & Paulum in infidelitatem
lapsos, imō anathema haberi, ut supra dixit, quā m unū
iota Euangelij perire.

In faciem ei restiti, quia reprehens.

Iam qd' Græcè ὡς ὅτι in facie, putatur ad
simulationē Pauli astruendā ualere, nō probo. Nō simus
labat Paulus, sed ex corde pleno restitit simulationi Pe-
trinae noxiæ. Et in facie, idē est qd' corā omnibus. seu in
manifesto, ut B. Amb. quoq; exponit. sic infra: Dixi Ke-
phe corā omnibus: sic enim supra dixi, facie (more scri-
pturæ) significare id, quod in manifesto est, et cōtrariū
abscondito: ut illic homo uideat ac iudicet, hic deus.

Quo uerbo, non procacitatem ac superbiam sus-
am prodit, ut insipiens Porphyrius criminatur: sed ne-
cessitatē & summam modestiā. Nec enim reprehendit

Petrum, donec cæteri omnes consenserunt: deinde & Barnabas socius suus quoq; esset abductus, ac iam nullus prorsus relictus, qui pro ueritate Euangelij staret, & illorum factum iam authoritas fiebat cōtra libertatem Euangelicam. Modestia debetur, quod nō mox reprehendit, sed omnes prius abduci permisit: necessitati autem, quod Euangelion iam peribat.

Aut, si pertinaciter in ui uerbi græci statur, quod secundum faciem omnino significet, secundum apparentiam, ut Ioan. 7. Nolite iudicare secundū faciem. adhuc non cogit simulationem in Paulo fuisse. Sed iste potius erit sensus, quod ex animo quidem restitit, externo uerbo obiurgans, sed nō ex corde maligno. Quo modo Ecclesiastici 7. Filia tibi sunt, serua corpus earum, & nō ostēdas hilarē faciē tuam ad eas. Sic parentes sunt asperi filijs secundum faciem, non ex corde, nec tamen simulatorie. Et quilibet Christianus, seruata cordis dulcedine & unitate, corripere fratrem, & dissentire ab eo debet. Sed & de ipso deo dicitur Thren. 3. Nō enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum.

Quis autem dicat deum simulare flagella, & abiectiones hominum? Ita Paulus uera reprehensione Petrum corripuit, durus in facie, dulcis in corde erga Petrum. Vera itaq; culpa Petri & reprehensione dignissima, & in neutro simulatio, qualem Hieronymus putat. Prior autē erat simulatio illa, qua cogebat Petrus iudaica & legalia seruari.

Questio.

Questio. Quando Petrus infirmorum scandalum ueritus, pia cogitatione se subtraxit: quid faceret Paulus, si in eodem euentu utrinque essent infirmi, tam Gentiles quàm Iudæi? Cui cederet? Nam seorsum singulis consentire nullam habet perplexitatem. Si enim cum Iudæis ederet, Gentiles offendet sicut Petrus: si cum Gentilibus, Iudæos offendet, sicut Petrus hic timuit. In hoc euentu Euangelica ueritas seruanda est, & reddita ratione exponenda, sicut Paulus hoc loco facit, coram omnibus arguens Petrum, & licitum asserens, gentiliter uiuere. Et supra, quando Titum gentilem non permisit circumcidi, nec cessit ad horam. Si autem hic Iudæi infirmi nolint sequi, dimittendi sunt. Melius est unam partem cum Euangelij ueritate seruari, quàm utranque partem unam cum Euangelio perire.

Hunc autem locum Apostoli, quàm uellem cunctis Christianis esse cognitissimum, præsertim religiosi, clero, & non paucis superstitiosis, qui propter leges Pontificias, aut sua statuta, non nisi subuertunt Euangelicam & fidem & charitatem. Nec tantum habent iudicij, ut si postulet fraterna charitas, omittant onera sua, nisi de nouo per pecunias emerint & dispensationes, & indulgentia. Cum nec Pontifices, nec Ecclesia possit quicquam statuere, nisi quatenus libera permittatur charitas, mutuaque beneficentia.

Si enim aliquid potest Pontifex dispensare, & causa uel utilitatis, uel honestatis, aut quæ maxima est, cha-

ritatis, subsit, iam non eges dispensatione, nisi tua propria. Nec enim lex hominū hucusq; peruenire potuit, ut in his causis te uel pilo ligaret, sed exceptas semper habeat has causas, uelit nolit. Quod si causæ hæ non subsint, & solam libidinem tuam sequeris, certe Pontificis dispensatio, tui & ipsius dissipatio & perditio erit. Heu quot carnificinas conscientiarū in Ecclesiam inuexit ignorantia ista legis dei, & legum hominum.

Non possum omittere nobilem illam historiam, ad hanc rem maxime pertinentem, de S. Spiridone Cypri Episcopo, extat lib. i. tripartitæ, qd' in quadragesima suscepto peregrino, cum aliud nō haberet, apposuit carnes porcinas: orans tamen primū, ac ueniam petens à deo. Cū autem hospes refutasset, & Christianū se professus esset: propterea (inquit) magis non debes refutare, omnia enim munda mundis, sicut sermo diuinus edocuit.

Ego tamen Pontifices monerē, ut aliquando Ecclesiarum periculis miserti, tollerent tandem leges suas, quibus uidemus, nihil nisi conscientias illaqueari, aut pecunias expiscari, insuper & fidutiā Christi penitus suffocari: id est, ueros Christianos extinguī, & Ecclesiam hypocritis & idolis repleri.

Cum autem uidissem, quod non, &c.

Prodit Paulus Petrum, & reteggit eius simulationē (nam hanc solam arguit) Simulabat se Petrus non uiuere

uere gentiliter, sed iudaice. at Paulus, Imò (inquit) gentiliter uiuis, & uixisti, & nunc aliud simulas. & hac simulatione cogis Gentes non gentiliter, sed iudaice uiuere, & ita in seruitutē legis urges. Ex quo perspicuū fit, Paulū nō fuisse à Hiero. satis intellectū. Nam Hiero. eam simulationem intelligit, qua Petrus propter iudeos iudaifabat, seruans legem quam non liceret seruare. At hāc Paulus nō arguit, neq; curat: sed eam quam simulabat, & segregabat se à Gētilibus escis, quasi nō liceret eis uti. hāc enī erat Euāgelio periculosa, nō illa.

Fuerunt qui hunc Kephe, alium quendam ex 70. discipulis fuisse assererent, ut est in Ecclesiastica historia Eusebij. Sed hoc erudite & potenter conuellit D. Hiero. Peruerso enim studio uoluerunt Petro patrocinari, cum Paulus dedita opera hāc ad Galatas scripserit, ut obtunderet os detrahētium sibi, quod sua doctrina esset Petro postponenda. Contrā (inquit) nō ex hominibus, sed ex deo: insuper non solū probata fuit per Petrū & apostolos, sed & ipse Petrus per eam correctus: ut iam nō reliquum haberent, quod Paulo oggannirent, quādo & Petrus lapsus fuerit in ueritate Euāgelij, libertatē, quam sibi uendicabat, alijs timore Iudeorum subtrahens, ac per hoc inique cum eis agens.

In qua re nimirū Paulus superiorē se Petro ostendit. Nec ista superioritas (ut dicitur) inflationis causa fuit: quia persona hominis est, quam deus non respicit.

Nos natura Iudæi, & non ex, &c.

Comparat Iudeos & Gentes. Nos, inquit, natura Iudæi, in legali iustitia excedimus quidem Gentes, qui peccatores sunt, si nobis conferantur, ut qui nec legem nec opera eius habeant: uerum non in hoc iusti sumus coram deo. Externa est ista iustitia nostra. Et hanc sententiam copiosissime tractat Rhom. 1. & 2. ubi primis Gentes declarat maximos peccatores fuisse, sed in secundo cap. ad Iudæos uertens, etiam si tales non sint, quales Gētes descripserat, nihilominus peccatores asserit, quod legem foris, non intus seruauerint: & in lege gloriātes, p̄ legis trāsgressionē deū inhonorauerint.

Scientes autē quod nō iustificatur homo ex operibus legis, nisi p̄ fidē Iesu Christi: & nos in Christū Iesum credimus, ut iustificemur ex fide Christi, et nō ex ope. se.

Iusti (inquit) sumus, sicut natura Iudæi, non peccatores sicut Gentes, sed iustitia operū legis, qua nullus iustificatur coram deo. Ideo & nos, sicut Gentes, iustitia nostra pro stercore ducta, per fidem Christi iustificari quærimus: iam simul peccatores cum Gentibus, simul iustificati cum Gentibus, quando deus nihil discreuit (ut Petrus Act. 15. dicit) inter nos & illos, fide purificans corda illorum. Verum hic locus, quoniam absurdus uidetur ijs, qui Paulinæ Theologiæ nondū assueuerunt, quando & D. Hiero. nonnihil sudat in hac intelligentia, latius prosequemur eadem quæ supra cœpi-

mus

mus de paternis traditionibus. Nec aideo inter extantes authores qui ad hanc sententiā satis sit, præter unū Augustinum, nec hunc in omnibus locis: sed ubi cum Pelagianis gratiæ dei hostibus pugnat. Hic facili tibi & apertum faciet Paulum.

In primis itaq; sciendum, quod homo dupliciter iustificatur, & omnino cōtrarijs modis. Primo ad extra, ab operibus, ex proprijs uiribus: quales sunt humanæ iustitiæ, usu (ut dicitur) & consuetudine comparatæ. Qualem describit Aristoteles, alijsq; philosophi. Qualem leges ciuiles & Ecclesiasticæ in cæremonijs: qualem dictamen rationis & prudentia parit. Sic enim putant, operando iusta iustū fieri, tēperando temperatū, & similia. Hanc facit & lex Mosi, ipse quoq; decalogus, scilicet, ubi timore pœnæ, aut promissione mercedis seruitur deo, nō iuratur per nomē dei, honorantur parētes, nō occiditur, nō rapitur, nō adulteratur, &c.

Hæc est iustitia seruilis, mercenaria, ficta, speciosa, externa, temporalis, mundana, humana, quæ ad futurā gloriam nihil prodest: sed in hac uita recipit mercedē, gloriam, diuitias, honorem, potentiam, amicitiam, sanitatem, aut certe pacem ac tranquillitatē, minusq; malorum, quàm ij qui secus agunt: sicut Christus pharisæos describit. Et B. Augu. R. romanos lib. 1. de Ci. cap. 8. Hæc mire fallit, etiam sapientes & magnos uiros, nisi in sacris literis fuerint eruditi.

Hanc Hierc. 2. uocat cisternam dissipatam, quæ nō

*iustitia
seruilis.*

74r. 2 cōtinet aquam, & tamē (ut ibidem dicit) facit ut præsument se sine peccatis esse. Et omnino similis est actibus ijs, quos uidemus à simia fieri, æmulatione hominum: aut quos personati in scenis & ludis ostentant, atq; omnino hypocritarū & idolorū propria est: ideo in scripturis uocatur mendaciū & iniquitas. Inde nomen Bethauen, domus iniquitatis. Ex horū genere sunt & hodie mentium illi deceptores, qui libero freti arbitrio, bonam (ut aiunt) formant intentionem, & actū diligendi deum super omnia, ex naturalibus elicito habentes, mox gratiam dei sese obtinuisse perditissime præsument. Hi sunt, qui hemorroissam (id est peccatricem conscientiam) operibus sanare laborant, & cōsumpta substantia, peius habere faciunt.

2 Secundo, ab intra, ex fide, ex gratia, ubi homo de priore iustitia prorsus desperans, tanquam ab immunditia menstruatæ, proruit ante deum, gemens humiliter, peccatoremq; sese cōfessus, cū publicano dicit: Deus propitius esto mihi peccatori. Hic (inquit Christus) descendit iustificatus in domū suam. Hæc enim est aliud nihil quàm inuocatio nominis diuini. Nomen autē dei est misericordia, ueritas, iustitia, uirtus, sapientia, suiq; nominis accusatio. Est autem nomen nostrū, peccatū, mendacium, uanitas, stultitia, iuxta illud: Omnis homo mendax. Vanitas, &c. omnis homo uiuens.

Inuocatio autē nominis diuini, si est in corde & ex corde uerè facta, ostendit quod cor & nomen domini sine

sint unū simul, & sibi coherentia. Ideo impossibile est, ut cor nō participet eiusdem uirtutibus, quibus pollet nomen domini. Cohærent autem cor & nomen domini per fidē: fides autē per uerbū Christi, quo prædicatur nomen domini: sicut dicit, Narrabo nomen tuum fratribus meis. Et rursum, Vt annuncient in Zion nomen domini.

Sicut ergo nomen domini est purum, sanctum, iustū, uerax, bonum, &c. ita si tangat, tangaturq; corde (qd fit per fidem) omnino facit cor simile sibi. Sic fit, ut credentibus in nomine domini, donentur omnia peccata, & iustitia eis imputetur propter nomen tuū domine, quoniam bonum est: nō propter meritum ipsorū, quoniam nec ut audirent, meruerunt.

Iustificato autem sic corde per fidem, quæ est in nomine eius, dat eis deus potestatem filios dei fieri, diffuso mox spiritu sancto in cordibus eorum, qui charitate dilatat eos, ac pacatos hilaresq; faciat, omnium bonorum operadores, omnium malorū uictores, etiam mortis contemptores & inferni. Hic mox cessant omnes leges, omnium legum opera. omnia sunt iam libera, licita, & lex per fidem & charitatem est impleta. Ecce hoc est quod Christus nobis meruit, scilicet prædicari nomen domini (id est misericordiam, ueritatem dei) in quod qui crediderit, saluus erit.

Igitur si te conscientia uexat, & peccator es, & queris fieri iustus, quid facies? An circumspecies, quæ

nam opereris, aut quò eas? non: sed uide, ut nomen domini uel audias, uel recorderis: hoc est, quod deus est iustus, bonus, sanctus, & mox huic adhære, firmiter credens eum esse tibi talem, & simul tu iam talis es, similis eius. Verũ nomen domini nusq̃ clarius uidebis quàm in Christo: ibi uidebis quàm bonus, suavis, fidelis, iustus, uerax sit deus, ut qui proprio filio suo non pepercerit. Hic te per Christũ trahet ad seipsum. Sine hac iustitia, impossibile est cor mundũ esse, ideo ipossibile est iustitiam hominum ueram esse. Hic enim assumitur nomen domini in ueritatem, illic assumitur in uanitatem: quia hic deo gloriam, sibi confusionem: illic sibi gloriam, deo contumeliam, reddit homo.

Hec est uera cabala nominis domini, non tetragrammati, de quo Iudei superstitiosissime fabulantur. Fides in nomen domini est intelligentia legis, finis legis, & prorsus omnia in omnibus: ut in Christũ posuit hoc nomen suum, sicut per Moysen prædixit.

Hec est iustitia, liberalis, gratuita, solida, interna, æterna, uera, cœlestis, diuina. Quæ in hac uita nihil meretur, neq; accipit, neq; quærit: imò, cū sit in Christũ et nomen eius (qd' est iustitia) sit, ut Christi & Christiani iustitia sit una eademq; ineffabiliter sibi coniuncta. E Christo enim scaturit & ebullit, sicut dicit Ioannis 4. Aquam quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ uiuæ salientis in uitam æternam. Ita fit, ut sicut alieno peccato omnes facti sunt peccatores: ita aliena iustitia omnes sunt

fiunt iusti. ut Rhom. 5. dicit, Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius hominis Christi iustitiam iusti constituuntur multi. Hæc est illa misericordia per omnes Prophetas prædicta, hæc benedictio Abrahamæ & semini promissa: ut infra uidebimus.

Nunc reuertendo ad textum, uidemus quàm recte Apostolus dicat, scientes, QVOD EX OPERIBVS LEGIS NON IUSTIFICATVR HOMO, nisi scilicet ex fide Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus, ut iustificemur ex fide Iesu Christi, & nō ex operibus legis. In quibus uerbis utrāq; hanc iustitiā designat, & priore reprobata, posteriorem amplectitur.

Ita & tu facias charissime frater: audi primū, quod Iesus significet salutem, & Christus unctionem misericordie. Et inauditam hanc salutem & misericordiam crede firmiter, & iustificaberis. hoc est, Crede eum tibi fore salutem & misericordiam, & ita erit sine omni dubio. Quocirca, satis impie & nimis gentiliter docetur, quando remissio peccatorū per satisfactiunculas, per cōtritiones coactas fieri docetur, hac fidei in Christum doctrina prorsus omissa: ut nunc uulgus Sententiarum theologizat.

Notandum tamen hic, quod opera Apostolus non reprobatur ut & D. Hiero. hoc loco docet, sed fidutiam operū. hoc est, opera nō negat, sed negat per ea quæcūq;

iustificari posse. Vnde cum emphasi & epitasia uerbum Apostoli legendū est, quādo dicit: NON IUSTIFICATUR HOMO EX OPERIBVS LEGIS. q. d. Admitto fieri opera, sed dico eis non iustificari hominem, nisi coram se & hominibus, & pro huius uitæ mercede. Sint opera, modò sciatur ea esse corā deo peccata, & iam nō uera opera. Ac sic funditus destruit iustitiæ nostræ fidutiam, quod ultra omnia opera legis longe alia iustitia opus sit, nempe operibus dei & gratiæ.

Itē & hoc obseruabis, quod opera legis generaliter dicit, nō tantū ceremonialia, sed prorsus omnia, etiam decalogi: quia et ipsa extra fidē & iustitiā uerā dei facta tum nō sufficiunt, tum falsam fidutiā hypocritis in specie sua præstāt. Desperandū ergo omnino ab omnibus uiribus, operibus, legibus, uolenti saluari.

Item, Tropum hunc Apostolo familiarem tibi notabis, quod opera legis nō aliorum usu uocat, quibus impletur lex ipsa. Nam hic sensus in causa est, quod Apostolum plurimi non intelligunt, qui opera legis nō nisi iusta & bona intelligere possunt, quādo lex ipsa bona est & iusta: ideo coacti sunt per legem intelligere ceremonialia, quod illa fuerint tunc mala & mortua. Verū errant: lex ceremonialis sicut fuit, ita nūc quoq; est bona & sancta, quia ab ipso deo statuta.

Apostolus constanter negat impleri legem per opera, sed per solam fidem: quia impletio legis est iustitia.

sed hæc non est operum, imò fidei: ideo per opera legis non potest intelligere ea, quibus satis fit legi. Quid ergo? Regula Apostoli est hæc, Non opera implent legē, sed impletio legis facit opera: non iusta faciendo iustus fit, sed factus iustus facit iusta. Prior est iustitia, plenitudoq; legis, antequàm fiant opera, cū hæc ex illa fluant.

Ideo opera legis appellat ad differentiam operum gratiæ seu operū dei: quia opera legis uerè legis sunt, non nostra, cum non fiant uoluntate nostra operante: sed lege per minas ea extorquēte, uel per promissa eliciente. Quod autem nostra uolūtate libere non fit, sed alio exigente, iam non nostrum, sed exactoris potius opus est. Eius enim sunt opera, quo imperante fiunt, sed fiunt imperante lege, non lubente uoluntate. Quod satis patet, si cui liberum esset sine lege uiuere, nunquam sua sponte faceret opera legis.

Inde apud Isaiam 9 lex uocatur exactor, quando dicit: Virgam humeri eius, iugum oneris eius, sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Quia per paruulum, qui datus est nobis, in quem credimus, effici-mur liberi ac lubentes in legem: ac iam nos non legis sumus, sed lex nostra est: & opera non legis, sed gratiæ sunt, ex qua libere & suauiter scaturiunt, quæ lex prius asperere & fortiter exprimebat.

Hæc intelliges, si quatuor ordines operū dispo-sueris. Opera peccati, quæ dominante concupscientia fiunt, sine resistentia gratiæ. Opera legis, quæ foris

*Regula
Apostoli*

*Opera
Legis*

*Quatuor
ordines op-
erum Legis*

coërcita concupiscentia fiunt, tamen intus eo magis feruente, & legem odiente: id est, quæ sunt bona in specie, mala in corde. Opera gratiæ, quæ repugnante concupiscentia, uictore tamē spiritu gratiæ fiunt. Opera pacis & perfectæ sanitatis, quæ extincta concupiscentia plenissima facilitate & suauitate fiunt: quod in futura uisita erit, hic incipitur.

Propter quod ex operibus legis, &c.

Eandem Rhom. 3. sententiam concludit. Et ibidem late probat ex Psalmo 13. Non est iustus qui faciat bonū, &c. Ideo necesse est opera legis esse peccata, alioquin iustificarent certe. Atque ita clarum est, iustitiam Christianam & humanam esse prorsus nō modò diuersas, sed contrarias quoq;. Quia hæc ex operibus fit, ex illa fiunt opera.

Inde nihil mirum, quod theologia Paulina penitus ceciderit, nec intelligi potuerit, postquā ij cœperunt Christianos docere, qui Aristotelis moralia prorsus conuenire mentiti sunt cum Christi, Pauliq; doctrina, prorsus nec Aristotelem, nec Christum intelligentes. Nostra enim iustitia de cœlo prospicit, & ad nos descendit. At impij illi sua iustitia in cœlū ascendere præsumpserunt, & ueritatē illinc adducere, quæ apud nos de terra orta est.

Stat ergo Paulus fortiter, Non iustificatur omnis caro ex operibus legis. Sicut & Psalmus: Non iustificabitur

abitur in conspectu tuo omnis uiuens. Reliquum est, opera legis non esse opera iustitiæ, nisi eius quam nos facimus.

Quod si quærentes iustificari, &c.

Id est, diximus iam nos in Christū credere, ut iustificaremur ex fide Christi. At, si nec sic iustificamur, imò adhuc inuenimur peccatores & iustificationis indigentes (quia ex operibus legis tu cogis nos iustificari) ergo iustificatio ex fide nihil est, & Christus sua fide nos peccatores fecit, & legis iustitia egentes: quod est absurdissimū, & Christum prorsus abolere: quia sic peccatum nobis ministrasset quod per legem dilueretur, & iam esset legis iustitia melior quàm Christi.

Argumentatur enim Apostolus ab impossibili & absurdo. quasi diceret, Si lex necessaria est nobis, qui in Christo querimus iustificari, ergo iustificati per Christum adhuc peccatores inuenimur, & legis debitores. Quod si hoc est, iam Christus non iustificauit nos, sed peccatores tantū fecit, ut per legem iustificemur: quod est impossibile. Quare & hoc est impossibile, legē (inquam) esse necessariā, & operibus legis nos iustificari. Iustificati enī in Christo, nō inuenimur peccatores, sed iusti: quia Christus nō peccati, sed iustitiæ minister est.

Vt autem Apostolū intelligas, aduerteres quod sub obscure Moſen cum Christo comparat. Nam is est Paulus tropus, quod legem appellat occasionē, uirtutemq;

peccati: ideo ministerium legis, ministracionem mortis
 & peccati audet nominare, 2. Corin. 3. Si ministratio
 mortis in literis deformata, &c. Et Rho. 7. declarat,
 quomodo peccatū per legē occiderit. Ideo Mosen mi-
 nistrum legis, intelligit ministrum peccati & mortis:
 quod per legem peccatum ueniat, per peccatum mors.
 Quia (inquit Rho. 4) ubi nō est lex, nec prauaricatio.
 cui opponit Christū, ministrum iustitiæ, qui hoc imple-
 uit, quod Moses per legem exegit. Quod & Ioann. 1.
 nō omnino tacet: Lex (inquit) per Mosen quidem data
 est, gratia autē & ueritas per Iesum Christū facta est.
 q. d. lex, nō aut gratia, nec ueritas per Mosen: ergo po-
 tius peccatum & transgressio per eum ministrata est.

Igitur Christus non est legislator, sed legis imple-
 tor. Omnis legislator minister peccati est, quia ponit oc-
 casionē peccati per legem. Vnde ueterē legem nō per
 seipsum, sed per angelos ordinauit: nouam autē (id est,
 gratiā) per seipsum dedit, misso spiritu sancto de cœlo.

Credo aut aliquos moueri, quod Apostolus hic ne-
 gat peccatores esse eos, qui in Christum credunt & ius-
 tificātur, cum nullus sit hominū sine peccato, nec ipse-
 met, ut Rhom. 7. & 8. de seipso testatur. Respondeo,
Omnis qui credit in Christū iustus est, nondū plene in-
re, sed in spe. Cœptus est enim iustificari & sanari, sicut
 homo ille semiuuus. Interim autem dum iustificatur et
 sanatur, non imputatur ei quod reliquum est in carne
 peccatum, propter Christum, qui cū sine omni peccato
 sit, iam

fit, iam unū cum Christiano suo factus interpellat pro eo ad patrem. Sic Rho. 8. cū dixisset, se captiuari per legem membrorum in peccatum, dicit, nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundū carnem ambulant.

Non ait, nihil peccati: sed, multum peccati est adhuc reliquū, uerum, non damnationi imputatur. In hoc mysterium uidetur Christus in cruce dixisse: consummatū est, antequā moreretur. Quare omnes eiusmodi iustorum commendationes, eodem modo intelligendæ sunt, quod non omnino in seipsis perfecti sunt: sed in deo reputante & ignoscente, propter fidem filij sui Iesu Christi, qui est propitiatorium nostrū. Hæc longe B. Augu. lib. de natura & gratia.

Regula.

Perniciose errant & fallunt, qui baptisatis & pœnitentibus nullum peccatum tribuunt, sed tantum infirmitatem, fomitem & morbum naturæ, præsertim, dum in seipso nō esse peccatum garriunt, quod in deo reputante & ignoscente tantummodo non esse peccatum, debuerant dicere.

Si enim quædest ruxi, iterum, &c.

Hoc est, quando ego per fidei prædicationem docui iustificationem in Christo & legem impletam, ac per hoc peccata destruxi: si iterum legem docerem seruandam & non impletam, quid aliud facerem, quā in quod peccata rursus statuere, & adhuc esse superāda operi

bus nostris? In qua re nihil facerem, nisi quod me uel tunc, uel modò, male egisse ostenderem: hoc est, præuaricatorem statuerem, imò facerem me alienum à Christo, in quo iustificatus fui, & denuo sub legem & peccata me traderem, æque præuaricatorem, sicut ante Christum fui.

Iterū suis tropis Apostolus utitur, ideo uariant interpretes. D. Hiero. destructa & reædificata uult intelligi legem, scilicet ceremonialem. Quæ sententia & si uera est, angustior tamen est, quàm ut satis sit ceteris scripturæ locis conuenire. B. Augu. destructa uocat opera legis, imò superbiam gloriantem & præsumentem de operibus legis. Nec hunc damno.

Verum, Apostolum cum præcedentibus, & alijs locis comparando, peccata (ut dixi) uidetur destruere, non legem, præsertim, cum Rhom. 3. neget se destruere legem per fidem, sed potius statuere. Peccata autem destruit. Rhom. 6. ut destruatur corpus peccati. Nam per fidem destruiuntur peccata, quæ per legem erant & abundabant: peccatum enim nō destruitur, nisi lex impleatur: at non nisi per fidei iustitiam lex impletur. Ita fit, ut per fidem simul & lex statuatur, & peccata destruantur. dum enim per fidem satis fit legi, desinunt peccata, & lex permanet in robore.

Reædificare uero peccata, est rursus legem prædicare, & putare seruandam & implendam. Vbi uero implenda lex est, necdum iustitia facta est, imò peccatiū superest:

superest: peccatū est enī legē nōdum impleſſe. ita rede
unt peccata, quæ prius deſtructa per fidē docebātur.

Quare ædificare peccatum, idem eſt quod infirma
re, deſtruere, irritamq; facere legem. Deſtruere autē
peccatum, idem eſt quod legem ſtatuerē, ædificare, &
implere. Quicunq; ergo docuerit legem impletam, ſc
ctamq; iuſtitiam, hic utiq; deſtruit peccata. Hoc autem
facit, qui docet per fidem Ieſu Chriſti iuſtos fieri: id eſt,
legis impletores. Qui uero dixerit legem implendam,
neq; factam iuſtitiam, hic utiq; ruruſum ſtatuit ac reſus
ſcitat peccata, & debitores legis conſtituit, ac reos ſa
cit ſeruandæ legis.

Hunc inquam eſſe ſenſum Apoſtoli puto hoc loco,
qui per peccatum deſtrui legem ſolet docere, ut Rho.
8. Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per
carnem: id eſt, non implebatur. Caro enim non implet
legem, ideo infirmat legem: ſed in alijs quoq; locis ſcri
pturæ idem tropus inuenitur. Sic Hiere. 35. Firmauer
unt filij Ionadab præceptum patris ſui, quod præce
perat illis. Item, Præualuerūt ſermones Ionadab, quos
præcepit. Ruruſus Pſal. 17. Nō ſunt infirmata uestigia
mea: id eſt, uiæ meæ firmatæ & impletæ ſunt.

Sed ex præcedentibus quoq; hunc eſſe ſenſum lique
bit, ubi negauit inueniri peccatores, qui in Chriſto iu
ſtificati ſunt, ideo peccata eis eſſe deſtructa cōuincitur.
Si autem inuenirentur peccatores, iam peccata prius
deſtructa reſtituerentur, quod eſſet in Chriſtum bla-

ſp̄hemia, qui peccatum & mortē nobis destruxit, ſi in eum crediderimus. Et, ut Ioannes ait: Qui natus eſt ex deo, non peccat.

Credo autem ſatis patere Apoſtolum, non tantum de cæremonialibus legibus loqui, ſed prorſus de omni lege. Parum enim Chriſtus cõtuliſſet, ſi ſola peccata legis cæremonialis destruxiſſet. At, quando etiam decalogi peccata destruxit, iam à fortiori planum eſt & cæremonialia destructa eſſe, & liberat omnes leges factas. Iterum autem cogor admonere lectorem triuiali iſti Theologiæ aſſuetum, qui forte turbabitur, audiēs, legem eſſe impletam omnibus qui in Chriſtū credunt.

Dicit enim, Cur ergo decalogus & tot Euangelij & Apoſtolorum præcepta docentur implenda, & exhortamur quotidie ad eorū opera? Reſpondetur, Sicut ſupra dictum, quomodo in Chriſto iuſtificati, non ſunt peccatores, & tamē ſunt peccatores. Vtrunq; enim de iuſto ſcriptura ſtatuit. Ioannes in Canonica ſua cap. 1. Si dixerimus, quia peccatum nō habemus, ipſi nos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. Qui eiſdem, cap. ult. dicit: Scimus, quoniam omnis qui ex deo natus eſt, non peccat: ſed generatio dei, id eſt, quia ex deo natus eſt, conſeruat eum, & malignus non tanget eum. Idem cap. 3. Omnis qui natus eſt ex deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare. Ecce nec poteſt (inquit) peccare, & tamē ſi dixerit, ſe non habere peccatum, mentitur.

Similem

Simile cōtradictionem in Iob licet uidere, quē deus, qui mentiri nō potest, pronūciat uirū iustū & innocentem, Cap. 1. Qui tamē inferius cōfitemur se peccatōrē, in uarijs locis, præsertim cap. 7. & 9. Cur non tollis peccatū meū, &c. Verū aut loquatur oportet, quia si corā deo mentitur, iam deus eū nō pronūciaret iustū. Simul ergo iustus, simul peccator. Quis soluet has diuersas contra se facies? aut in quo conuenient? Nempe, in propiciatorio, in quod uultus Cherubim, alioqui sibi contrarij, cōueniunt. Quia ergo per fidem incepta est iustitia & impletio legis: ideo propter Christū, in quo credunt, non imputatur quod reliquum est peccati, & implendæ legis.

Fides enim ipsa, ubi nata fuerit, hoc sibi negocij habet, ut reliquum peccati ē carne expugnet, uarijs afflictionibus, laboribus, mortificationibus carnis. Ut sic lex dei non modò in spiritu & corde placeat, & impleatur: sed & in carne, quæ adhuc resistit fidei & spiritui amanti & implenti legē. sicut pulchre Rho. 7. describitur. Proinde, si fidem spectes, lex impleta est, peccata destructa, nullaq; lex superest: sed si carnē, in qua non est bonum, iam peccatores cogeris fateri eos, qui iusti sunt in spiritu per fidem.

Totum ergo quod æstuat Apostolus, est, ne quis per opera legis introducere iustitiam in cor præsumat, quasi non iam fidei iustitia ibi regnet, ē qua in carnem fluant opera & plenitudo legis. Et accipe tibi simile,

sicut Christus sine omni peccato caput iustorum nihil debet legi prorsus: nec docendus est quid facere debeat, qui omnia iam facit, & abundantius quàm lex doceat. Tamen corpus suum & carnem suam, Ecclesiam regit & exercet, ut suam iustitiam ei influat: ut quomodo ipse patri per omnia obediens est, ita corpus quoq; suum reddat obediens, quod nondum est tam obediens, & sine peccato. Ita spiritus iustitiam per fidem sine peccato nihil debens legi: corpus tamen habet adhuc sibi dissimile & rebelle, in qd' operatur & exercet, ut ipsum quoq; sine peccato, iustum ac sanctum sibi simile reddat.

Ideo præcepta sunt necessaria tantum peccatoribus: At iusti quoq; sunt peccatores propter carnem suam, quod tamen non imputatur eis, propter fidem interioris hominis, qui deo conformis, persequitur, odit, crucifigit peccatum in carne sua, donec in futuro consummatus in carne & spiritu, nulli legi debeat. Ex parte ergo impleta est lex, ex parte nihil debemus legi, ex parte destructa sunt peccata.

At qui iustitiam quærunt per opera legis, ipsi reedificant etiam infidelitatis peccatum, contra fidem in spiritu, imò peruersissimi hominum, peccatum in carne quod fides expugnat per totam uitam, ueluti non sit, per opera legis extollunt. Et in hoc statuunt iustitiam, legis impletionem, non fidem. Arbitrantur enim sese iustos, si legis opera fecerint, cum tamen nec fidem Christi habeant, quæ interior est iustitia: nec puritatem carnis,

nis, sed simulent eam. Ac ita nec intus, nec foris iusti sunt, sed mera specie se & homines illudunt.

Igitur necessaria sunt præcepta, non ut per opera eorū iustificemur: sed ut iam iusti sciamus, qua ratione spiritus noster carnē crucifigat, & in rebus huius uitæ dirigat, ne caro insolescat, & ruptis frenis sefforē spiritū fidei excutiat. Nō equiti, sed equo frenū debetur.

Ego enim per legem legi mortuus, &c.

Et hūc tropum Rho. 7. latius prosequitur, ubi describit mulierē uiuam solui à lege mariti mortui. Quæ omnia, nisi metaphysicas mortes & mutationes ab intellectu dimoueris, barbara tibi erunt. Sicut mors mortem, peccatum peccatū, captiuitas captiuitatem, libertas libertatē, seruitus seruitutē, uita uitā, bonū bonū, malū malū, maledictum maledictū, lux lucem, tenebræ tenebras, dies diem, nox noctē: ita lex legem tollit. De ijs in scripturis, præsertim Paulo, late patēt exempla.

Manifeste itaq; duplicem legem tangit: una est spiritus & fidei, qua uiuitur deo uictis peccatis, impletaq; lege, ut satis dictum est. Altera lex literæ & operum, qua uiuitur peccato, nunquam impleta lege, sed simula Lex duplex
ta impletionē. Per legem enim suscitatur odium legis, sed per fidem infunditur dilectio legis. Ideo legis operator legem seruat cum odio legis: id est, pessime omit- 2
tit, dum aliud intus optat, aliud foris simulat: fidei autē spiritus legem seruat cū dilectione legis, hoc est, opti-

me legem implet, & tamen foris cum peccatis suis pugnans, ostendit se peccatorem esse.

Sunt ergo duo isti aduersarij. Legalis ille intus peccat, & foris iustitiā prætexit; Fidelis intus bene facit, & foris peccata sua portat ac persequitur. Igitur. Paulus per legem fidei uiuit intus deo, ibidemq; est mortuus legi. Verum, in carne nōdum uiuit deo, sed uiuificatur deo: nōdum est mortuus legi, sed mortificatur legi, dum eandem fidei puritatem cordis satagit & in carnem foris propagare, quo studio meretur ut totus deo uiuere, & legi mortuus reputetur, eodem prorsus tro-po, quo superius peccator & non peccator, impletor & non impletor, dictus est. In futuro enim est, ut plene deo uiuamus, & legi mortui simus.

Viuerē & mori, hoc loco non corporaliter, aut naturaliter accipi, ipsa locutio ostendit Apostolica: quis non simpliciter, sed legi mortuum se dicit, & deo uiuū.

Est autem uiuere legi, esse sub lege & dominio eius. Vt Rhom. 7. Lex in homine dominatur quanto tempore uiuit. Sicut seruus quamdiu non redimitur, domino suo uiuit per legem seruitutis, & ius gentium: ita nos, dum extra fidem sumus, regnante concupiscentia, legi seruimus, coacti eius opera faciētes, ac per hoc legē nō implētes, quæ dilectione fidei tantū impletur.

Mori autem legi, est liberum fieri à lege. Sicut debitor quispiam, cum mortuus fuerit, liber est ab exauctore suo: ita dū per fidei gratiā homo uictus incipit occidi,

et destrui peccatū, quod per legem abundabat: morimur hac sancta morte, id est, uiuificamur ad iustitiam. sicut copiose Rho. 6. et 8. disputat eodem uerborum tropo, mortuos peccato, uiuos iustitiæ appellans.

Quare legi uiuere, est legem non implere: legi mori, est legem implere hoc per fidē Christi fit, illud per opera legis. Sic Rho. 4. Arbitramur enim hominē iustificari per fidē, quam et legem fidei dicit. Itē Rho. 8. Lex spiritus uitæ: id est fidei, liberauit me à lege mortis et peccati: id est lege, quæ mortē et peccatū operatur et auget: ut est omnis lex siue diuinitus siue humanitus data. Vnde, ut cœpimus, duas has leges clarius exponemus.

Lex spiritus est, quæ nullis prorsus scribitur literis, nullis profertur uerbis, nullis cogitatur cogitationibus: sed est ipsa uiua uoluntas, uitæque experimentalis, res quoque ipsa, quæ scribitur digito solo dei in cordibus. Rho. 5. Charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritū sanctū. de qua et Hier. 31. ut et ex Ebræ. 8. adducit Apostolus: Dabo leges meas in mētes eorū, et in corda eorum superscribam eas. Hec inquam intellectualis lux mētis et flāma cordis, est lex fidei, lex noua, lex Christi, lex spiritus, lex gratiæ, iustificans, omnia implens, et carnis concupiscentias crucifigens.

Ita et B. Augustinus pulchre hoc loco dicit: Ipsam quodammodo legem uiuit, qui cum dilectione iustitiæ

Lex spiritus

iuste uiuit. Nota, cum dilectione iustitiæ: hanc enim natura nescit, sed fides eam impetrat. Sic 2. Cor. 3. Epistola estis Christi, ministrata à nobis, scripta autem nō atramento, sed spiritu dei uiui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

Lex literæ, est quæcunq; scribitur literis, dicitur uerbis, cogitatur cogitationibus, siue sit tropologia, allegoria, anagogia, aut cuiuscūq; tandem mysterij doctrina. Hæc est lex operum, lex uetus, lex Mosi, lex peccati, lex iræ, lex mortis: damnās omnia, reos faciens oēs, cōcupiscentias augens & occidens, eoq; magis, quo fuerit spiritalior: sicut est illa, Non cōcupisces. hæc enim plures reos facit, quàm illa, Non occides: aut illa, Circumcidite præputia uestra. aut similis ceremoniæ: quia sine lege spiritus nullum opus beneficit, sed semper simulatur. Consequens est, quod lex spiritus est id, quod lex literæ requirit, uolūtas inquam, Psal. 1. Sed in lege domini uoluntas eius. id est, charitas. Rho. 13. Plenitudo legis, dilectio. Et, 1. Timo. 1. Finis legis charitas. Atq; ut planissime ac uulgariter dicam: Lex literæ & lex spiritus differunt, sicut signum & signatum, sicut uerbum & res. Ideo obtenta re, iam signo nō est opus: itaque neq; iusto lex est posita. Habito autem solo signo, docemur rem ipsam quærere. Sic Moses & prophetæ, tandem Ioannes Baptista, ad Christum nos mittunt.

Lex docet, quid debeas & quo careas: Christus dat, qd' facias & habeas. Ideo, qui lege aliter utuntur quàm signo,

signo, quo ad Christū dirigūtur, quo cognoscāt suā miseriam, & quo gratiam quærant, pessime abutūtur: ut qui suis uiribus freti, mox lege audita, in opera eius accinguntur, rem legis in seipsis quærentes, ac præsumentes, cum nec signum, ipsam inquam legem, in seipsis inuenisse se uideant.

Item sequitur, quod omnis lex literæ est spiritalis, quo modo dici potest spiritalis, sicut Rho. 7. Scimus quia lex est spiritalis. Neq; unquā in scripturis legimus carnalem legem uocari, quæ literis scribatur, licet Origenes multo, frequentiq; studio huc feratur, actus suis opinionibus. habet quidē Paulus legem membrorum & carnis concupiscentiam, sed hæc non est litera, sed significatur, prohibeturq; litera legis.

Igitur spiritalis est, quia spiritum fidei requirit: id est, nō propter signum, sed propter rem spiritalis est. Cum nullum opus bonum fiat, nisi hilari, uolente, gaudenteq; corde fiat: id est, in spiritu libertatis. Alioqui, si lex spiritalis dicenda est, quæ tantummodo spiritalia opera præcipiat, iam nulla lex spiritalis erit, nisi quæ iuxta Theologos nostros, de actibus cordis elicitis præcipit. Neque charitatis opera erunt spiritalia. An lauare pedes hospitem, subuenire pauperi, monere errantem, orare pro peccatore, tolerare iniuriam, nō sunt corporalia? imò non minus quàm ulla cæremonialia, tam ueteris quàm noui testamenti.

Sed spiritus fidei ipse solus inter opera discernit.

alioquin operum nulla prorsus differētia, neq; eorum
quæ per animam, neque quæ per corpus fieri possunt.
Omnia tunc sunt carnalia uel literalia, quando cogente
litera, absente lege spiritus fiunt: tunc sunt spiritualia,
quando præsentē lege spiritus fiūt: ut infra uidebimus.

Christo confixus sum cruci, &c.

Mortuum se dixerat legi, iam modū huius mortis
exprimit, qui est crux Christi. Huc pertinet quod Gal.
inf. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cū
concupiscentijs suis. Et Petrus 1. Pet. 4. Christo in car
ne passo, & uos eadem cogitatione armamini: quia qui
passus est in carne, desijt à peccatis. Et cap. 2. Peccata
nostra ipse pertulit in corpore suo super lignū, ut pec
catis mortui, iustitiæ uiuamus.

Hinc B. Augustinus lib. 3. trin. 4. passionem Christi
esse & sacramentum, & exemplum docet. Sacramen
tum quod significet, & credentibus donet mortem pec
cati in nobis. Exemplū, quod & nos imitari eum opor
tet patiēdo, moriēdoq; corporaliter. Sacramentum
est illud Rho. 5. Qui mortuus est propter peccata nos
stra, & resurrexit propter iustificationem nostram.
Exemplum est, 1. Pet. 2. Christus pro nobis passus est,
uobis relinquens exemplū, ut sequamini uestigia eius.
Sacramentum latissime tractat Rho. 6. & 8. Col. 3. et
alijs multis locis.

Ita & hic, Crucifixum se dicit Christo, iuxta sacra
mentum, quod peccatum & concupiscentias mortifi
cauerit.

tauerit. Quod autē dicit Apostolus, hoc est, ij qui per legis opera iustificari quærunt, non modò non crucifigunt carnem suā, sed etiā augent concupiscentias eius, tantū abest ut iustificari possint. Lex enim uirtus peccati est, irritans inuitam concupiscentiā, dum eam prohibet. Fides autem Christi, cum diligit legem concupiscentiæ prohibetricem, iam idem quod lex iubet faciēs, concupiscentiam aggreditur & crucifigit.

Non ergo per legem peccati abolitio, sed cognitio tantū & auctio, frustra q; in illa iustificatio quæritur. Tum uiuit iustus non ipse, sed Christus in eo, quia per fidem Christus inhabitat, & influit gratiam, per quam fit, ut homo non suo, sed Christi spiritu regatur. Nam dum nostro agimur spiritu, concupiscentias sequimur, non crucifigimus. Totum ergo Christo, non nobis dans dum est, quod credimus, quod iusti sumus, qd' legi mori tui sumus, quod concupiscentias mortificamus.

Quod autem nunc uiuo in carne, in fi de uiuo filiū dei, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.

Id est, quam uitam nunc uiuo, aut quod tempus uiuo. Sicut, 1. Petri quarto: Voluntati dei quod reliquum est uiuat temporis. Est autem sensus Apostoli, Dixi me iam non uiuere, sed Christum in me: uerum, ne existimetis, aut hæreticis futuris occasio data uideatur, quod uita Christiana sit extra carnem in religione an-

gelorum, in mirabilibus supra se ambulādo: sic uiuit in me Christus, ut tamen in carne uitam agam: non autem sic in carne uiuam, quod ex carne in carne, aut secundū carnem sit uita mea, sed in fide filij dei. Iustitiarij uero & ipsi in carne quidem uiuunt: id est, in præsenti uita agunt: uerum hanc uitam non agunt in fide Christi, sed in operibus legis, ideo mortuā in peccatis uitam agūt.

Vbi Paulus uitam in iustitia uiuentē dicit, sic utrāq; uitam simul inuoluit. corporalem & spirituale. Corporalem tunc uerē esse uitam, si in Christo & spiritu fidei uita uiuatur. Sicut enim lex occidit suos cultores spirituāli morte, dū facit peccatū roborari & augeri: ita & uitam corporis, mortuā, id est peccatricē, facit.

Vbi sunt ergo nostri neutrales, qui inter peccatum & iustitiam fidei mediū statum sinxerunt, scilicet moraliter bonum? cum Apostolus ipsam legis iustitiā appellet mortuam. At mortuum apud Apostolum nō dicitur, nisi quod peccatum prius sit, sicut dicit: Stimulus autem mortis, peccatum est. & Rho. 5. Per peccatum mors. Non ergo opus aliquod mortuū, & non mortale (ut dicunt) seu nō meritorium, sed mortuum simul & peccatum est.

Non abiicio gratiā dei: si enim per legē iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.

Tam magna iniuria est, uelle operibus, uiribusq; non fr̄is per legem iustificari, ut Apostolus id appellet abiectionē

iectione gratiæ dei, non tantum in gratitudinem (quæ per se pessima est) sed & cōtemptum, quum gratia dei summis studijs debuerat inquire: at illi gratis acceptā repudiant.

Illum syllogismum Apostoli, dignum est perpendere: Si per legem iustitia, &c. cum fiducia pronunciat, Aut Christū esse gratis mortuū (qd' est summa blasphemia in deum) aut per legem nihil, nisi peccatum haberi. Nam illi procul à sacris literis arcendi sunt, qui distinctionibus è suo cerebro depromptis, iustitiam aliam moralem, aliam fidei, & nescio quas alias ad Theologiam afferunt.

Habeat sane ciuile res suam iustitiā. philosophi suam, & quicunq; suam. Nos oportet hic iustitiam ad intellectū scripturæ accipere, quam Apostolus planè negat esse, nisi per fidem Iesu Christi. Cætera omnia opera, etiam sacratissimæ legis dei, adeò non præstare iustitiam, ut etiam peccata sint, & hominem peiorem faciant coram deo. Quin tanta esse peccata, & à iustitia tam longe, ut necesse fuerit filium dei mori, quo iustitia nobis donaretur. Ne ergo in theologia iustitiam uocaueris, quod extra fidem Christi fuerit. Si autem iustitiam nō esse, certū est: certum pariter est peccatū esse, & damnabile peccatum. *Iustitia est fides Iesu Christi*

Vide ergo nouam iustitiam, nouamq; iustitiæ definitionem. Vsite enim dicitur, iustitia uirtus est, reddens unicuiq; quod suū est. Hic dicitur, iustitia est fides Iesu

Christi, seu uirtus, qua creditur in Iesum Christum: ut
 Rhom. 9. Corde creditur ad iustitiam, id est, si quis ue-
 lit iustus esse, credat necesse est corde in Christum. Et
 B Hieronymus cap. 3. Scita est sapientis uera illa sen-
Hieron. tentia, nō fidelem uiuere ex iustitia, sed iustum ex fide.
id est, non sua iustitia fidelis est, sed fide iustus est. Pul-
 chra certe sententia.

Iam sequitur, qd' iustus per fidē nulli dat quod suū
 est per seipsum, sed per aliū, scilicet Iesum Christū, qui
 solus ita iustus est, ut omnibus reddat, quod reddendū
 est, imō omnia ei debent. Qui autem in Christū credit,
Gloria
Christiano
min. et spiritu fidei unus cum eo factus est, iam non solū sa-
tisfacit omnibus: sed id quoq; efficit, ut omnia sibi debe-
ant, habens cum Christo omnia cōmunia. Peccata sua
 iam non sua, sed Christi sunt. At in Christo, peccata iu-
 stitiam uincere non possunt, sed uincuntur: ideo in ipso
consumuntur. Rursum, iustitia Christi iam non tantū
 Christi, sed sui Christiani est: ideo non potest ulli debe-
 re, aut à peccatis opprimi, tanta fultus iustitia.

Hec est illa inestimabilis gloria Christianorū, hæc
 ineffabilis diuinæ charitatis circa nos dignatio, qua tā
 ta, tam preciosa nobis donata sunt, pro quibus ne abije-
 ciantur, merito sic æstuat Paulus.

Vnde et hæc iustitia, dei iustitia uocatur: ut I. Cor.
Iustitia
dei. 1. Qui factus est nobis à deo iustitia, et sapientia, et
sanctificatio, et redemptio. Sic Rhom. 1. Non erubesco
 Euāgelion, iustitia dei reuelatur in illo, ex fide in fidē:

sicut

sicut scriptum est, Iustus ex fide uiuet. Et Rho. 10. Ignorantes iustitiam dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ dei nō sunt subiecti. Hæc est illa uox Psalmorū 30. In iustitia tua libera me. non mea utiq; quæ ex lege est, & peccatū est. Et iterum 42. Exaudi me in tua iustitia. Et 71. Deus iudicium tuum regi da, & iustitiā tuā filio regis. Orietur in diebus eius iustitia & abūdantia pacis. Et 97. Iudicabit orbem terrarum in iustitia.

Et quid multis? Iustitia dei in scripturis ferè semper pro fide & gratia accipitur, rarissime pro seueritate, qua damnat impios, & liberat iustos, ut nunc passim usus habet.

Regula.

Quod si iustitia fidei, dicēda est, reddere unicuiq; qđ suum est ex nobis ipsis, potius intelligitur id facere per cessionē (ut uocāt) omniū bonorū, quo modo Lucæ de cimoquarto parabola edificātis turrim, & pugnaturi contra fortiorē se, docet. Hi enim edificāt turrim (exemplo eorū, qui Babyloniæ turrim cœperunt) qui suis uiribus freti, per opera legis sese quærūt iustificare, & saluos facere, et occurrūt Christo iudici futuro robustissimo, cū pauculis operū copijs: quibus consulit, ut primū sumptus supputēt, et inueniēt qđ nō possint, ideo relictis omnibus, sapiētiae, uirtutis, iustitiæ, præsumptionibus: adhuc illo longe agente, rogēt pacē, desperātes de seipsis, & se in misericordiā uenturi regis plena fide proijcientes. Sic enim cōclussit eandē parabolā: Sic oīs ex uobis, qui nō renunciauerit omnibus quæ possidet,

nō potest meus esse discipulus. hoc est, nō eris Christianus, nisi sola fide nitaris, tuis iustitijs penitus reiectis.

CAPVT TERTIVM.

O insensati Galatæ, quis uos, &c.



Vnc ad Galatas reuertitur. Nam hucusque
cōtra Petrum dixisse, diuo Hiero. putatur.
 Verum an omnia ista præsente Petro effuderit, nescio. Ego diuinarem, ab illo loco, propter quod non iustificatur ex operibus legis omnis caro, desijisse cū Petro loqui. Quia repetit, quod paulò superius ad Petrum dixisse se scribit: scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, &c. Atq; iam ab isto loco cū Galatis deinceps disputare, & reliquis argumentis opera legis confutare. Tamen esto unicuique hic suum iudicium.

Igitur Paulus totus æstuans pio zelo, & si totā epistolam ferè argumentis & cōsutationibus repleuerit, immiscet tamē aliquoties exhortationem, obiurgationem, nonnunquam & eadem repetens inculcat, omnia tentās pro Apostolica solitudine, insensatos, stultos, amentes, eos uocat, authore Hieron. Vel quod regionis proprietate eos pulsat, sicut ad Titum: Cretenses mendaces, & alias gentes alijs uitijs notat. uel quod à maioribus ad minora uenerāt, ac uelut repuerascere cōperāt, ad pædagogum legis reuersi. Et hoc magis mihi proba-